

revelationis oriatur pro iis qui non fuissent absoluti, praestabit semper interrogantes ad ipsos poenitentes remittere, vel si praevideatur necessitas monendi alios de communione danda, ex. gr. aegrotis, licentia ab ipso poenitente petatur, dicendo ex. gr.: Vis ut moneam hunc vel illum de communione tibi danda? (Gury, II. n. 659)

383. II. Non tenetur hac lege **poenitens**: quia sigillum institutum est in favorem poenitentium, non confessariorum. Attamen ipse tenetur secreto naturali premere ea quae, sine aliquo damno confessarii, manifestari non possent. Immo etiam hoc secretum strictius servare debet quam alia secreta naturalia; quia confessarius non libere, ut plerique consiliarii, sed ex officio consilia sua praebet, neque se contra detractiones poenitentis, ob legem sigilli, tueri potest. (S. Alph. n. 647) Prudens tamen confessarius semper cavebit ne ea dicat quae nolit aliis manifestari: siquidem poenitentes saepe de iis quae sibi inter confitendum acciderint, confabulari cum commentariis solent. (Ball. P. n. 975)

III. Lege sigilli tenetur **Superior** cui se sistit qui jam indirecte a reservato absolutus est, vel a quo petitur facultas absolvendi a reservato. Nam, in priori casu, confessionis complementum habetur; in posteriori, ejusdem praeparatio necessaria: quare usus notitiae alterutra via acquisitae, cum gravamine poenitentis, in odium sacramenti redundaret. Neque refert utrum haec facultas ab ipso poenitente, an a confessario e licentia poenitentis petatur. Ita saltem probabilior et in praxi tenenda sententia. (S. Alph. l. c.)

IV. Lege sigilli tenetur **interpres** qui ad confessionem instituendam adhibitus fuerit: quem tamen **numquam** necessario adhiberi putamus. (n. 292) Ita communis sententia cum S. Alph. (l. c.) Idem dicendum de eo qui pro rudi scribit chartam confessionis.

V. Lege sigilli tenetur **quicumque**, casu vel industria, **aliquid audit** dum instituitur confessio, siquidem **tota** illa notitia e sola sacramentali confessione habetur. Idem dicendum si poenitens alta voce confiteatur. ex. gr. instanti naufragio, non autem si tantum ad suam confusionem velit publice confiteri. (S. Alph. l. c.)

384. VI. Tenentur etiam **ii omnes** quibus aliquid directe vel indirecte, culpabiliter vel **inculpabiliter**, **revelatum esset de materia** sigilli ab iis qui eam nossent. Etenim res in confessione manifestata onus sigilli adnexum habet, quod **onus** prius afficit rem ipsam et deinde personam; quare semper cum eodem onere transit. (Lugo, disp. 23. n. 25)

VII. Tenetur, juxta sententiam probabiliorem et practice servandam, quicumque a confessario, cum venia poenitentis, **consultur de rebus** in confessione manifestatis: nam notitia ei communicari nequit, nisi cum onere tacendi adnexo. Poterit tamen vir consultus cum confessario loqui de eodem argumento, donec sacramentum perficiatur: nam licentia a poenitente concessa merito tamdiu durare intellegitur. (S.. Alph. n. 648) Controvertitur autem num teneatur is a quo poenitens petit consilium in ordine ad suam confessionem alii faciendam. Censem S. Alph. (n. 649) probabilius negandum esse: quia obligatio haec oritur e sola confessione sacramentali, saltem inchoata, qualis hic non habetur. Attamen viget certe in casu lex secreti commissi, immo practice, ob plurimum AA. probabilem sententiam (n. 381, IV), lex sigilli servanda est.

VIII. Regulariter, juxta doctrinam communissimam (S. Alph. n. 650), non tenetur lege sigilli qui invenit vel legit **chartam**, in qua poenitens scripsit sua peccata ad confessionem faciendam. Haec enim charta non est confessio, sed tantum medium quo poenitens libere utitur, ut se ad confessionem praeparet eamque filius instituat. Quare per se non magis parit obligationem sigilli, quam si quis alium audiret dum examen conscientiae ante confessionem altiori voce institueret. (Lugo, disp. 23. n. 47) Ideo qui legeret talem chartam, postquam advertit ea contineri confessionem personae cognitae, vel qui lecta aliis revelaret, tantum contra legem secreti naturalis peccaret: quod peccatum leve foret, si tantum manifestaret levia, nec diffamantia peccata, vel si e mera curiositate chartam legeret, moraliter certus nihil quod graviter infamet eadem contineri. (Ball. P. n. 973) Sed probabile est (S. Alph. et Ball. P. ll. cc.) teneri sigillo qui chartam hanc legat dum in ipso actu confessio- nis a sacerdote vel poenitente legitur, quia in iis adjunctis charta haec est pro actuali confessione; vel qui eamdem legat in confessionali relictam, quia videtur quasi permanens confessio; vel tandem qui legat litteras, quibus a praelato petatur facultas absolvendi a reservato, quia haec petitio sub sigillo continetur. (Lugo, l. c. n. 49) Cfr. n. 383, III.

Punctum III. Quaenam materia cadat sub sigillum.

385. I. Sub sigillum cadunt omnia **peccata poenitentis in ordine ad absolutionem manifestata**, sive praeterita, sive futura seu mala proposita. Neque excipiuntur **publica**: nam semper timerent poenitentes ne confessarius recte vel perperam suum peccatum tamquam publicum haberet. Quare sigillum infringeret qui de meretrice publica diceret eam peccata luxuria cum magno dolore confessam esse. (Lugo, disp. 23. n. 61)

Non violaret tamen sigillum qui diceret aliquem sibi confessum esse sua venialia peccata vel aliquas venialitates: nam eo ipso quod confiteatur, patet eum declarasse aliqua venialia, quae ceteroquin a nemine, absque singulari privilegio, diu vitari possunt. (Vol. I. n. 315) Sed, intacto sigillo, nequit manifestari aliquod veniale *in specie* vel dici hunc accusasse *multa* venialia. Cfr. n. 380, II.

II. Sub sigillum cadunt etiam omnes circumstantiae, quas poenitens sapienter vel insipienter explicat ad peccata sua declaranda. Haec enim omnia ab eo dicuntur ut praecepto confessionis satisfaciat, et, si ea tantum quae prorsus necessaria sunt silentio sacramentali subjacerent, non satis pro visum esset securitati plurimorum poenitentium, qui necessaria ab utilibus vel superfluis discernere nequeunt.

Excipienda tamen sunt ea quae dicuntur quidem ad explicanda peccata, sed tantum ut confessario innotescat quod publicum sit, sed forsitan eum lateat, et tamen ad intellegenda peccata requiratur vel requiri existimetur. Ex. gr. si dicat poenitens se esse conjugatum, ut explicet malitiam adulterii in turpi desiderio, se esse talis loci magistratum, ut defectum in hoc munere admissum explicet, etc., per se nihil obstat quominus confessarius dicat se audivisse confessionem conjugati, magistratus talis loci, etc. Item, si quis narrat se omisisse Sacrum ut concentui musico interesset, non prohibetur confessarius quominus ea quae de-hoc concentu a poenitente audivit, aliis narret, modo id ne faciat in iis adjunctis quae suspicionem aliis ingererent talem poenitentem hac occasione peccasse, ut si diceret se ea ab isto in confessione audivisse. Neque sub sigillum cadit peccatum publicum alienum quod poenitens commemorat ut suum explicet, ex. gr. se mala precatum esse auctori homicidi heri in civitate patrati. Nam ex ipsa rerum publicitate patet haec a poenitente dici quasi *prae suppositive* et extra confessionem.

Contra sub sigillum cadunt omnes circumstantiae accusationis peccatorum quas taceri poenitentis interest, ex. gr. eum esse illegitimum, laborare ignorantia quae ipsum munere suo indignum reddat, etc. (Lugo, disp. 23. n. 55 seqq.) Saepe enim poenitens mallet sua peccata detegi, quam hujusmodi defectus.

386. III. Probabilius non cadunt sub sigillum **defectus poenitentis** quos confessarius ex ipso modo confilendi colligere potest. ex. gr. eum esse scrupulosum, naeniis tempus terere, esse morosum, etc.; quamvis talia soleant esse objectum secreti naturalis, quia absque molestia poenitentis manifestari nequeunt.

Ratio est: hos defectus non manifestari a poenitente ad declaranda

peccata sua, sed ab eo admitti, vidente vel audiente confessario, perinde ac si in confessionali committeret blasphemiam vel contumeliam in confessarium. (Lugo, l. c. n. 60) S. Alph. tamen (n. 643) huic sententiae non acquiescit, quando agitur de defectibus quorum manifestatio odiosam redderet confessionem, qualis esset scrupulositas, ingenii hebetudo, etc. Sed dissensus iste non multum ad praxim facit. Nam, si defectus illi tales sunt ut eorum manifestationem ex se aegre ferret poenitens, eos sub legem secreti naturalis cadere consentimus. Si vero defectus sunt publici vel nullum ruborem injicere apti, ut coecitas, surditas, condicio mendicantis, foedus halitus, etc., non appareat quare talia confessarius tacere deberet, neque ipse S. Alph. (H. A. tr. 16. n. 154) videtur dissentire, quamquam obscure hoc argumentum in sua Theol. Mor. proposuit. Similiter nullatenus reprehendendum censemus eum qui, audita confessione pueri, dicit eum esse doli capacem, vel gaudere sana mente poenitentem de quo dubitabatur num amens esset. (Lugo, l. c. n. 91)

Licet etiam confessario fugere poenitentem, qui communiter notus est ut prolixus vel inquietus, etc.; quia tunc clare appareret confessarium fugere tantum ne ab illius naturali prolixitate, inquietudine, etc., taedium patiatur. (Ball. P. n. 960) Sed quandoque posset adesse periculum revelationis indirectae, si confessarius manifestaret peccata a poenitente in actu confessionis patrata, ex. gr. impatientias, contumelias, propositum jam ab usu sacramentorum recedendi; nam audientes facile suspicarentur ea contigisse ob negatam absolutionem, vel ob reprehensionem de peccatis gravioribus. (S. Alph. n. 643) Scrupuli quoque, qui ut peccata accusantur, procul dubio sub sigillum cadunt ex regula supra (II) data.

387. IV. **Virtutes poenitentis**, charismata extraordinaria et similia probabilius non cadunt sub sigillum, siquidem eorum manifestatio confessionem odiosam reddere nequit: quod confirmatur constanti consuetudine qua confessarii, post sanctorum virorum obitum, eorum virtutes et extraordinaria dona manifestarunt. (Ball. P. n. 952 seqq.)

Plerique tamen AA. (Lugo, disp. 23. n. 59; S. Alph. n. 642) existimant eam esse materiam sigilli, quando poenitens ea manifestat ad declarandum melius aliquod peccatum, ex. gr. ingratitudinem erga Deum post tanta dona. Sed casus iste rarissimus est, neque etiam appareat quare talia dona supernaturalia magis pertineant ad sigillum quam mere naturalia, puta ingenii, divitiarum, altioris munieris vel status, quae etiam explicari possunt ut melius declaretur ingratitudo peccantis erga Deum. Ceterum, si poenitens secretum de hujusmodi rebus postulavit, vel aegre latus est earum revelationem, certe viget lex secreti com-

missi vel naturalis. Idem dic de bonis propositis, ex. gr. amplectendi vitam religiosam.

V. Peccatum complicis cadit sub sigillum, sive prudenter, sive etiam imprudenter confessario manifestatum sit: nam ejus manifestatio odiosam redderet confessionem. Ideo contra sigillum delinqueret qui notitia hujus peccati uteatur ad complicem monendum vel corrigendum. Id tamen licitum fieret, si poenitens expresse hanc licentiam daret: nam complex ex alterius complicis confessione nullum jus acquirit ad sigillum sacramentale, quod unice in favorem poenitentium institutum est. (Suar. disp. 34. sect. 4; S. Alph. n. 641) Sed etiamsi poenitens sponte roget confessarium ut complicem corrigat, ordinarie non expedit ut hoc officium assumat. "Ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra confessionem et non extra; et ex alia parte confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali et offensionis sacri ministerii." (S. Alph. n. 492) Majore etiam circumspectione petenda est haec facultas, praesertim a junioribus. In his enim non raro extortae concessionis periculum latet. (Tambur. Append. de Sig. c. 3. n. 8)

VI. Sub sigillum cadit poenitentia imposta, nisi haec sit ex iis quae pro levissimis peccatis imponi solent, ex. gr. ter Ave. Si enim major revelaretur, daretur occasio suspicandi poenitentem mortalia vel multa venialia admisisse. (Ball. P. n. 946)

Punctum IV. Quibus modis violetur vel non violetur sigillum.

388. I. Generalis regula est **licitum esse** uti notitia confessionis, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum gravamen poenitenti infertur. Quare licebit confessario illa notitia uti ad orandum pro poenitente, ad ipsum benignius tractandum, ad consulendos libros vel sapientiores, ad temperandum rigorem quem e confessionibus audivit non expedire, ad alias interrogandos vel instruendos, nullam tamen dando prioris confessionis suspicionem; etiam ad cavendum a periculis damni spiritualis vel temporalis, vel ad alias monendos ut sibi ab iisdem caveant, secluso omni periculo revelationis vel gravaminis poenitentis, et similia. (S. Alph. n. 657) Neque obstat poenitentem forte intelligere aliquid a confessario fieri ob illam notitiam a se datam, puta majorem sibi exhiberi benignitatem, dummodo id quod fit gratum sit poenitenti: siquidem sic nullum odium in sacramentum concitat. (Lugo, disp. 23. n. 102)

II. Illicitus est quicumque usus continet revelationem directam vel indirectam. (n. 380, I) Facile patet quandonam adsit **revelatio directa**: de indirecta id saepius ambiguū est. Regulam generalem dat Lugo (l. c. n. 103): "In iis per quae confessio non revelatur, regula tota ad cognoscendum an sint vel non sint contra sigillum, debet esse difficultas confessionis, quae proveniret ex eo quod talis usus vel tale genus actionum licitum esset absque facultate poenitentis." Casus praecipuos qui dubium movere possint breviter in sequentibus elucidabimus.

III. Per se non frangit sigillum qui dicit Titium sibi confessum esse. Sed quandoque dari potest obligatio secreti naturalis ad id tacendum, puta si poenitens clam accesserit, vel etiam obligatio ex lege sigilli propter suspiciones quas audientes facile conciperent, ex gr. de eo qui, die qua non solent multi confiteri, ad confessarium clam accederet, vel de religioso qui, contra consuetudinem suam, adiret confessarium habentem facultatem absolvendi a reservatis. (Bus. ap. S. Alph. n. 638) Etiam per se non adversatur sigillo, si confessarius laudet unum e poenitentibus suis quod sola venialia habeat; sed per accidens inde oriri potest **revelatio indirecta**, nempe si videri possit instituta quaedam comparatio cum aliis ejusdem confessarii poenitentibus: nam horum peccata graviora saltem in genere revelarentur. (Ball. P. n. 915)

389. IV. Non laedit sigillum qui peccata audita ita refert ut, moraliiter loquendo, persona innotescere non possit: ad quod tamen maxima cautela necessaria est, propter astutum aliquorum ingenium ad colligendum facti auctorem e levissimis adjunctis. Sed, etiamsi non datur ansa suspicandi personas particulares, violatur sigillum: ubi suspicio ferri potest in ipsum poenitentem, saltem quatenus pars est alicujus coetus. Hinc laeditur sigillum:

1º Si e paucis poenitentibus quos audisti, refers aliquid peccatum: nam singuli ex illa relatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. (Lugo, disp. 23. n. 63)

2º Si dicas te in tali monasterio audivisse peccatum gravius: quia haec infamia recidit in totam communitatem, et ideo etiam in poenitentem quatenus est communitatis membrum.

3º Si dicas te audivisse in hoc vel illo Ordine religioso hoc vel istud peccatum fuisse admissum, quod ex sola confessione cognoscas: id enim redundat in dedecus Ordinis et consequenter ipsius poenitentis, qui est pars illius. (Lugo, l. c.) Neque admittenda est sententia S. Alph. (n. 654) negantis id adversari sigillo, nisi Ordo esset strictioris observantiae: quia id "non redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet Ordine mali sint: unde neque oritur scandalum, neque infa-

matur Religio. „ Nam, etiamsi quidam Ordo male oleret apud vulgus, infamia ejus insigniter confirmaretur hoc authentico confessarii testimonio; insuper, cum idem confessarius non soleat in multis monasteriis confessiones exceperit, suspiciones fere in unam alteramve domum tantum orirentur, ideoque recideremus in casum praecedentem. (Ball. P. n. 990 seqq.)

4º Si asseris in aliquo loco perpetrari gravia crimina, quae cognoscis tantum e confessione, nisi agatur de loco satis amplio, quale esset oppidum fere 3000 incolarum, vel peccata jam essent publica. Nam, ubi locus exiguis est et peccatum nondum publicum, singuli incolae detrimentum ex hac revelatione patiuntur. (Lugo, l. c. n. 64; Ball. P. n. 994)

5º Si quis confessarius paucos habens poenitentes sibi subditos, puta monialium director, coram illis contionatur de culpa aliqua particulari cuiusdam monialis vel illius monasterii: sic enim facile fit ut hanc culpam confessi suffundantur pudore. Licet tamen loqui de defectibus qui communiter in omnibus monasteriis solent vel possunt perpetrari. (S. Alph. n. 654) Pariter sigillo non adversatur quod parochus, e notitia confessionis, contionatorem moneat, quaenam vitia speciali correptione indigeant, vel quod contionator eadem notitia utatur ad haec vitia aggredienda, dummodo agatur de loco satis amplio et viiis communibus.

390. V. Non frangis sigillum " si utaris notitia extra confessionem acquisita, immo ipsum peccatum, quod aliunde tibi innotuit, aperias, modo nullam circumstantiam ex sola confessione notam, nec certius referas quam extra confessionem nosti: quo in casu opus est magna cautela et tutissimum est silere. " (Bus. ap. S. Alph. n. 638) Igitur quamvis, illaeso sigillo, uti possint scientia sua extra-sacramentali confessarii ad compescendos delinquentes, ad bonum commune procurandum etc., praestat antevertere animi anxietates et sacrilegarum confessionum pericula ex hujusmodi usu oritura, vitata quatenus fieri potest unione muneric confessarii cum munere Superioris. Ut hujusmodi incommoda a Regularibus averteret, Clemens VIII (Const. *Sanctissimus*, 26 Maii 1593) haec statuit: " Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio nutu id ab iis petierint. " (1)

(1) Nuperrime, 5 Julii 1899, prodiit *decretum quod*, ex ipso tenore suo, manifeste restringitur ad solam urbem Romam. Nempe S. Officium, de expresso SS. DD. Leonis Papae XIII mandato, districte prohibuit " ne ullus cuiusquam Religiosae communis aut Seminariorum aut Collegii Superior, sive major sive minor, in hac alma Urbe (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo ejus conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales confessiones audire ullo pacto audeat. " Rationes prohibitionis dantur

VI. Confessionis schedula seu testimonium, illaeso sigillo, negari potest iis qui ad confessarium accedunt absque animo confitendi, puta antequam matrimonium ineant. Nam cum hic nulla fiat confessio in ordine ad absolutionem, nequit esse locus legi sigilli. Neque regulariter talibus dari potest hujusmodi testimonium, ne confessarius, absque gravi causa, sacrilegae receptioni communionis vel matrimonii cooperetur.

Iis etiam qui confessionem sacramentalem inchoarunt, sed ob defec- tum dispositionum absolvvi nequeunt, probabilius illaeso sigillo denegari poterit hujusmodi schedula. Nam confessarius nihil dicit, sed tantum non approbat testimonio positivo illam confessionem, ad quod non tenetur. Neque obstat quod objicit S. Alph. (n. 639): eum teneri ad vitandam indirectam revelationem quae, negata schedula, vitari non potest. Nam eodem jure dicendum esset laedi sigillum ab eo qui negat absolutionem: saepe enim, dum cernitur poenitens a S. Communione abstinere, ex. gr. in collegiis, vix ulla alia ratio ejus abstinentiae menti spectantium occurrere potest quam negata absolutio. (Lugo, l. c. n. 87; Sporer, Theol. Sacr. de Poenit. n. 840; Ball. P. n. 922) Nihilominus, cum S. Alph. (l. c.) aliisque multi AA. putent in hac schedulae denegatione reperiri violationem sigilli indirectam, censemus in praxi dandam esse schedulam. (n. 381, IV) Neque veracitati deerit confessarius, dummodo schedulam recte conficiat, attestans non quidem absolutionem datum, sed sacramentalem confessionem institutam. Attamen recte monet Laymann (de Poenit. c. 14. n. 8), cui se adhaerere S. Alph. (l. c.) testatur: " Si res moram patiatur, quia non statim testimonium accipere aut

mala " quae ex hujusmodi abusu facile oriiri queunt. " Videlicet: " Ex una parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis integritas periclitatur; ex alia vero Superioris minus liberi esse possent in regimine communis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in confessione habitis uti, aut benevolentiores se, praebere erga alumnos quorum confessiones excipiunt. " Profecto hujus decreti spiritum ubique sequi oportet, perinde ac quarumlibet legum ecclesiasticarum. Sed cavendum ne in eo spiritu determinando aberremus. Ita modum excedit " Il monitor ecclesiastico " (2^a ser. Vol. I. p. 202), qui ex eo decreto concludit: non decere ut episcopi facile exipient confessiones fidelium, cum e tali usu non pauca incommoda derivari possint: quasi non age-retur in hoc documento de iis tantum Superioribus qui cum subditis suis *in eadem domo manent*. Jam ipsum S. Officium 23 Augusti 1899 declaravit per hoc decretum " nihil derogatum fuisse Constitutionibus Apostolicis quoad Ordines religiosos. " Atque, ut perhibent testes fide dignissimi, documentum illud Romae ad eos tantum Superioris religiosos missum est qui habent alumnos non religiosos secum in eadem domo manentes. Reapse ubique magna prudentia opus est Superiori talium subditorum confessiones audienti: qui quanto imperfiores et timidiiores sunt, tanto faciliter scandalizantur.